

ad Romanos Lovanii 1854. 1 Vol. in 4<sup>o</sup> sequenti methodo adornato. Praemittit docta *Prolegomena*, ubi de Epistolae authentia, scopo, indole, interpretibus agit; tum vero pro singulis capitibus offert 1<sup>o</sup> Argumentum (cum analysi), 2<sup>o</sup> textum Graecum, Vulgatam Latinam, et suam *paraphrasim* (tribus columnis), et in margine inferiori variantes lectiones, 3<sup>o</sup> commentarium philologico-historico-dogmaticum, 4<sup>o</sup> in margine alias breviores adnotationes. In fine demum Voluminis repetit ac simul sistit continuam totius Epistolae paraphrasim. Similem methodum Cl. Auctor tenet in suo *Comm. in Acta Apostolorum Lovanii 1850*, et in *Comment. in Epistol. S. Pauli ad Philippenses* ib. 1852. Haec tamquam optimum eruditae expositionis specimen haberi possunt.

Et haec de commentario.

*Dissertationes* vero, ut supra innuimus, tamquam complementum et supplementum commentarii habendae sunt. Hic vero non loquimur de *dissertationibus biblicis* in genere consideratis, sed in specie de *dissertationibus exegeticis* (1). Sunt autem istae longiores tractationes de singularibus Scripturae locis. Quare omnia fere quae de commentariis dicta sunt ad has etiam pertinent, cum hoc tantum discrimine quod in his brevitatis non praescribitur, quinimo oportet eas omni ex parte plenas esse, ita ut rem de qua agitur quodammodo exhaurire videantur. Ad earum tamen rectam institutionem duo tantum hic observabimus: 1<sup>o</sup> ea quae afferuntur in dissertatione apta sint ad rem illustrandam, nec vanae eruditionis speciem tantummodo praesferant. 2<sup>o</sup> Ordo tractationis, quam accuratissime fieri potest servetur: non raro enim fit ut in huiusmodi elucubrationibus multa festinanter, et absque debito ordine simul congerantur, quae lectoris animum potius fatigant et obnubilant quam illustrent. Contra vero si omnia lucido, et apto ordine dis-

(1) Dicuntur enim dissertationes biblicae quae ad S. Scripturam quovis modo referuntur. Possunt autem in varias species dividi pro vario argumento quod pertractant; et in genere vel ad quaestiones Introductionis referri possunt, ut sunt dissertationes de authentia alienius libri vel pericopae, item aliae chronologicae, geographicae, archaeologicae etc.: vel ad sensum loci alienius illustrandum. Primae classis dissertationes communi vocabulo appellari possunt *criticae*, alterius vero classis *exegeticae*, de quibus tantum hic est sermo.

ponantur, quantumvis docta et proluxa fuerit dissertatio, libenter et cum fructu legitur, atque intelligitur. Ad huiusmodi exegeticas monographias referendae sunt nonnullae ex dissertationibus Calmeti, item Laur. Reinke *De messia expiatore, passuro, morituro* Monasterii 1836, quod opus nihil aliud est quam diffusa commentatio in Is. LII, 13-LIII, 12, item eiusdem: *Exegesis critica in Isaiae II, 2-4 seu de gentium conversione in V. T. praedicta* ibid. 1838.

## CAPUT V.

### DE POPULARI ET PASTORALI SCRIPTURAE EXPOSITIONE

I. Quae hucusque dicta sunt ad doctam et eruditam Scripturae expositionem pertinent, quae cultis lectoribus, et Theologiae studiosis destinatur. Verum interpretem meminisse oportet verborum Apostoli: *Sapientibus, et insipientibus debitor sum*: quapropter sciat etiam necesse est quomodo Scripturae expositio Christianae plebis captui accommodari possit, ut illum ex ea fructum percipiant quem Spiritus Sanctus in Scriptura inspiranda intendit. Cum autem id fieri possit seu scriptis, seu viva voce, hinc distinguere possumus popularem tractationem scripto mandatam, et pastoraalem Scripturae expositionem quae viva voce a pastoribus animarum in concionibus ad populum fit, quaeque proprio vocabulo *homilia* dicitur. Rursus de his loqui possumus sub duplici respectu, rhetorico nempe, vel hermeneutico. De primo autem tractare pertinet ad oratoriam sacram, uti aiunt, sive eloquentiae sacrae institutionem, ubi de horum sermonum compositione, ac stylo praecepta traduntur, de respectu autem hermeneutico huius expositionis pauca hic subiicienda sunt.

II. Itaque expositio de qua loquimur in multis discrepat a docta et erudita expositione, pro diverso scilicet fine quem speciatim intendit, et pro diversa conditione et idoneitate eorum in quorum gratiam praecipue instituitur. Ex dictis autem satis apparet quanam esse debeant dotes huiusmodi expositionis. Scilicet 1<sup>o</sup> *simplicitatem* cum *claritate* coniunctam praesferre debet. Id est non solum stylus talis sit oportet, ut ab omnibus etiam rudioribus facile intelligatur (quamvis non debeat plebeius esse, et san-

clitati Scripturae minus conveniens), sed etiam, et multo magis rerum delectus, atque ordo facilis, ac perspicuus omnino esse debet. Opus est enim in populari expositione imprimis quaestiones omnes nimis subtiles, aut mere speculativas omittere, quales sunt ex. gr. chronologicae discussiones, diversae philosophorum aut theologorum opiniones, grammaticales ac philologicae observationes, aliaque similia quae populus Christianus aut non intelligit, aut non amat, aut certe a pastoribus audire non desiderat. Deinde in ipsa rerum quae exponendae sunt tractatione argumenta proponantur non scholastica ratione, aut implexis ratiocinationibus, sed plana omnino et familiari forma, quaedam supponendo, alia per interrogationes ac responsiones proferendo, adhibitis quoque quantum fieri potest similitudinibus, apteque selectis exemplis, quae auditorum vel lectorum animos saepe melius quam argumenta movere solent. 2° Praecipuus scopus huiusmodi expositionis practicus esse debet, ideoque non solum mentem auditorum illustrare, sed etiam affectus movere, et voluntatem allicere debet popularis interpretis: miscendo nempe expositioni exhortationes et incitamenta de prompta ex Christi et Sanctorum exemplis, ex fructibus qui e Christianarum virtutum exercitio proveniunt aliisque huiusmodi. Quae quidem nunquam praestabit interpret nisi ipse non solum doctrina, sed et pietate, ac vero Dei spiritu imbutus fuerit. 3° Ad formam specialem quod attinet in homiliis quidem commentarium imitari oportebit, observatis tantum differentiis superius expositis: in scripta vero expositione licebit etiam paraphrasim adhibere, dummodo simplici clarioque stylo exarata sit, additis quoque brevioribus adnotationibus, non tam criticis aut philologicis, quam dogmaticis, moralibus et asceticis, iisque ex thesauro sanctorum Patrum quantum fieri potest de promptis.

Ad ultimum notandum est non omnes S. Scripturae partes huius generis expositioni aequae aptas esse. Quare ante omnia oportebit eos libros vel librorum partes seligere, quae populi intelligentiae, indigentis, ac desideris accommodatioris videantur, ceteris ad eruditos interpretes ac Theologos remissis. Qui hoc non adverterit cogetur in decursu expositionis aut quaedam transilire, aut populum taedio afficere, aut ad violentas et a longe petitas expositiones allegoricas confugere, quae nunquam probandae sunt. Ita

fieri ex. gr. expositori qui vellet librum Levitici, et minutas descriptiones ritualium et legalium praeceptorum in eo contentas populo enarrare, vel obscurissima Ezechielis, aut Apocalypsoe vaticinia evolvere. Nihil fortasse aptius huic populari expositioni quam libri historici, et morales (1).

Optima popularis expositionis exempla suppeditant Sancti Ecclesiae Patres in suis *homiliis, et tractatibus* in S. Scripturam, prae ceteris S. Iohannes Chrysostomus in homiliis super Pauli Epistolas, et S. Gregorius M. tum in Libris Moralium in Iob, tum in homiliis super Evangelia. Recentiores vero plamplurimum tam nostrates quam exteri hac laude inclaruerunt, quorum praecipua opera manibus omnium versantur, ut ex. gr. expositio in Evangelia Dominicalia Card. de la Luzerne, Lectiones sacrae PP. Granelli, Zucconi, et Finetti e S. J. et nuper lectiones exegeticae C. Curci praesertim in Librum Tobiae (Florent. 1877), et in IV Evangelia (ib. 1874-76).

## CAPUT VI.

### DE EXERCITATIONE EXEGETICA

Cum Hermeneutica sit practica scientia, imo magna ex parte potius ad artem revocanda, evidens est sola praecepta ad eius certum et expeditum usum sufficere non posse nisi practica accedat exercitatio, et regularum applicatio fiat. Hoc enim, experientia teste, in omnibus huiusmodi disciplinis observatur, quas saepe probe nos callere existimamus, simul vero ac eas ad practicos usus transferre volumus prorsus haeremus, aut etiam ipsam theoriam hand satis nos intellexisse comperimus. Traditis itaque praeceptis de modo inveniendi et exponendi Scripturae sensum, exercitatio exegetica accedat necesse est. Qua in re licet sanum iudicium, et constans voluntas multum valeat, nonnulla tamen in gratiam tironum monere operae pretium erit.

Recolenda imprimis sunt ea quae monuimus initio praecedentis

(1) Plura de populari expositione recte instituenda tradunt auctores qui *pastoralem*, uti nunc vocant, *theologiam* pertractant. Praecipua ex opere imprimis I. M. Sailer: *Praelectiones de Theologia Pastoralis* excerpta accurate exponit Gantner in *Herm. bibl. gen.* §. 124-127.

Partis de subsidiis remotis, seu potius dispositionibus praerequisitis in interprete sacro, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis: sine his enim Scripturae interpretatio ne tentanda quidem foret. His itaque suppositis, haec prae oculis habeto.

I. Exercitatio exegetica non sine duce inchoanda est. Scilicet eligatur facilius aliquis Scripturae liber, puta historicus, et sive sub magistri directione ac regimine, sive saltem optimo aliquo commentario in exemplum proposito, explicatio textus incipiatur. Conetur itaque studiosus explicationes ab illo propositas recte intelligere, in singulis animadvertere quanam hermeneuticae regulae et quomodo adhibitae fuerint, ubi vero dubitaverit alios quoque interpretes vel interroget, vel legat, ac paulatim discat relativum expositionum valorem iudicare. Interim scripto mandanda erunt quae optima in singulis visa sunt, eaque propriis verbis, propriisque argumentis confirmanda. Huiusmodi exercitatio per aliquod tempus continuata sensim sine sensu facultatem quamdam interpretandi pariet.

II. Antequam singuli versiculi explicentur integer locus generali quadam ratione dispiciendus erit. Imo totus liber legendus, eiusque dispositio ac nexus secundum contextum et auctoris scopum investigandus est, et *analysis* seu resolutio argumenti totius libri in suas partes saltem maiores facienda, quam praestabit statim scripto consignare. Tum vero ad singulas partes exponendas accedatur.

III. Postquam singula loca quis recte intellexisse sibi videtur, utile erit sensum ita perceptum per *paraphrasim* exponere, quae paucis verbis omnia considerata, et perfecta clare perstringere debet. In hac enim conficienda facile apparebit an quis vere sensum loci perceperit, an vero ulterior consideratio necessaria sit.

IV. Utile erit difficiliora Scripturae loca seorsim notare, ut pro data opportunitate eorum intelligentia quaeratur, et si quis de obscuriori aliquo testimonio interrogatus fuerit, nec, ut saepe fit, quaerenti potuerit satisfacere, hanc occasionem arripiat, et veluti stimulum sibi adiectum sentiat ad locum illum recte et profunde intelligendum. Haec exigua industria vix dici potest quot temporis decursu pariat emolumenta.

V. Interim omittendum non erit affinium scientiarum, et disciplinarum studium: sed harum auctores legendi, fontes consulendi,

et notitiae paulatim comparatae, aut ex libris excerptae (puta de linguis orientalibus, de sacra geographia, de archaeologia) memoriae imprimendae, et chartae mandandae sunt, notatis locis quibus illustrandis inservire possunt.

VI. Demum ita instructus interpres expositionem proprio, uti dicitur, Marte, proprioque ingenio confusus aggredi debet, vel per adnotationes cum paraphrasi coniunctas, vel per commentarium aut homiliam. Verumtamen his primis tentaminibus haud nimis fidere oportet, sed ea vel provectorum iudicio subicienda, vel paulisper in scriniis delitescere permessa iterum ad trutinam revocanda sunt, et tranquillo animo expendendum an cuncta recte se habeant. Quo facto plura vitia, quae primo attentionem effugerant, animadvertentur, et corrigentur. Atque ita post exactum aliquod temporis spatium securior, et exercitior quis evadat.

VII. Cum necessarium omnino sit aliorum commentarios consulere ad exegeticum studium non solum inchoandum, sed etiam perficiendum, nec quisquam interpres, aut theologus quantumvis doctus iis carere possit, summi momenti res est prudenter ac scite eos tum deligere, tum in usum convertere. Et ad delectum quidem quod attinet nec omnes legi possunt aut debent, nec quicumque in manus inciderint, verum ex prudentum virorum iudicio, et ex propria experientia, ii tantum seligendi sunt qui optimi indicati fuerint, ceteri autem in singularibus tantum locis forte erunt adeundi, quando scilicet feliciores in iis exponendis fuerint, quod nonnunquam mediocribus quoque interpretibus usuvenisse scimus. Postquam vero optimi commentatores selecti fuerint in iis legendis haec animadvertenda erunt. Imprimis unus vel alter commentarius eligatur non quidem unius vel paucorum librorum, sed totius Sacrae Scripturae, quem quis tanquam principalem ducem sequatur, et quocum alii interpretes comparentur. Hoc enim efficit ut principia ac methodus interpretandi uniformiter in omnibus Scripturae libris adhibita melius percipiuntur et omnes Scripturae expositiones inter se aptius cohaereant. Attamen uni commentario minime adhaerendum est, sed alii comparandi, sive generales, sive quarumdam Scripturae partium, et quidem diversae indolis, ut utilior eorum collatio evadat: singuli enim suas habent dotes in quibus maxime excellunt, suos etiam defectus quibus nemo

caret: alter ex. gr. Patrum et Ecclesiae interpretationes accuratius et copiosius sistit puta Corn. a Lapide, et Calmetus, alter contextum et logicum ordinem clarius exponit, puta Maldonatus, et Bernardinus a Piconio, alius literalem et philologicam expositionem subtilius et doctius persequitur, puta Bonfrerius, Ackermann, Beelen et generatim recentiores melioris notae interpretes, et ita porro; quas proinde dotes in singulis dispicere oportet, ita ut unius defectus per alterum suppleatur, et ex multorum comparatione tum ingenium exercentur, tum propria interpretandi ratio perfectior evadat. Ad hoc autem facilius dignoscendum praestabit loca quaedam Scripturae profundiora, atque obscuriora apud diversos interpretes consulere, ex iis enim tamquam ex lydio lapide probatur quantum quisque valeat, et quid ab eo sperandum in ceteris locis sit.

Ad haec omnia facilius praestanda subicitur sequens

## SECTIO II.

### BREVIS NOTITIA PRAECIPUORUM SCRIPTURAE INTERPRETUM

Propositum nobis non est enclenum omnium interpretum subicere, quod maioris operis negotium est, a pluribus doctis viris susceptum (1), sed ad normam Theologorum de clarioribus tantum pauca animadvertere. Haec brevis historia sponte sua dividitur in duas partes, prout interpretes vel Iudaei sunt, vel Christiani. Horum autem historia complectitur notitiam exegeseos tum sanctorum Pa-

(1) Ubiorem notitiam commentatorum Iudaeorum exhibent Bartolucci, et Wolfius alter in *Bibliotheca magna rabbinica*, alter in *Bibliotheca hebraica*, prae caeteris vero De Rossi in suo: *Dizionario Storico degli autori Ebrei*. Parma 1802. Christianorum autem interpretum copiosissimum indicem tradunt inter ceteros Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta* lib. IV, et recentius Calmet in *Bibliotheca Sacra* praefixa eius *Dictionario biblico*, et imprimis Lelong in *Bibliotheca Sacra in binos syllabos distincta* cum additionibus et supplementis Boernerii et Maschii Halae 1778-90. Notitiam et iudicium de praecipuis commentatoribus tum Iudaeis tum christianis tradit etiam Rich. Simonius in: *Histoire Critique du V. T.* (Lib. III), et in: *Histoire Critique des principaux commentateurs du N. T.* Verum hic auctor non semper aequum iudicium fert de SS. Ecclesiae Patribus.

trum, tum Doctorum mediae aevi tum recentiorum, qui rursum in Catholicos, et Protestantes distinguendi sunt. Hunc igitur ordinem in hac brevi expositione tenebimus.

## CAPUT I.

### DE IUDAEIS SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETIBUS

In Prolegomenis nonnulla animadvertimus de Iudaeorum exegesi ante Christum, et initio aerae christianae, quibus tamen actibus licet fortasse vere ac proprie dicti commentatores extiterint nulla tamen huiusmodi opera scripta ad nos pervenerunt. De cabalistica quoque interpretandi ratione, Iudaeorum fere propria, quaedam superius dicta sunt. His igitur omissis, hic eorum tantum scripta recensimus qui proprie dictos commentarios methodo plus minus literali in Sacram Scripturam composuerunt, quique etiam Christianis utiliores esse possunt. Hi omnes floruerunt inter saeculum XI, et XVI, et dialecto rabbinica plerumque scripserunt, unde versio latina prodit. Praecipui sunt sequentes.

1. *Aben-Ezra*. In Hispania floruit saeculo XII: scripsit commentarios in Pentateuchum, Prophetas et plerosque alios libros V. T. qui in *bibliis Magnis rabbinicis* primo loco apponi solent. Subtilis est, literalis, licet allegoriam non respuat, a fabellis etiam et superstitiosis Rabbiorum somniis plerumque sibi cavet, regulas quoque interpretandi satis accurate tradit in praefatione in Pentateuchum. Stylo tamen utitur valde obscuro, quo fit ut etiam hebraice scientes in eius lectione saepissime haereant: quare explanationes seu commentarii in ipsos commentarios scribi debuerunt quos hebraei פְּנִינֵי אֶבְרָהָם vocant.

2. *Rabbi Moses Ben Maimon*, quem brevilitatis causa Iudaei *Rambam* vocant (1), Christiani vero Maimonidem, et ipse hispanus fuit, eiusdemque cum priore aetatis: commentarium scripsit in difficiliore Scripturae locos, cui titulum fecit: *Moreh Nevuchim*

(1) Coniata est haec vox ex initialibus vocum *Rabbi Moses ben Maimon* מֹשֶׁה בֶּן מַיְמוֹן appositis punctis vocalibus seu duplici pathah: simili modo aliorum praecipuorum Rabbiorum nomina in unam vocem contrahunt, ut infra notabimus.